



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

IX. Vilitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

& perpetui somnii humana vita: & quomodo ridendus sit, qui somniorum suorum visis aut turbetur aut exhilarescat: ita vanum esse, quem fugacia mala bonave contrariis moribus nimium exagitent. Eodem sensu, breviter ac scitè, vocata est Guilielmo Parisiensi, libro de legibus cap. 8. fortuna omnis humana, *Felicitas somnialis*: ab alio, *bracteata felicitas*. A Sapiente, *Fascinatio nugacitatis*, Sapien. cap. 4. A D. Joanne Apoc. 14 *poma desiderii*, manum fallentia, & hiantis os subito discessu deludentia.

IX. *Vilitas.* *Evaporata momenta libidinum* eleganter Seneca dicebat: eodem modo dicas momenta favorum, momenta opum, momenta dignitatum. Libro Regum 4. cap. 9. ungitur Jehu in Regem: proceres circumstantes, cum ludibrio id fieri putarent, mox tamen, mutatâ cœlitis voluntate, ludum in serium vertère, & Regem acclamavère, substraveruntque ipsi pallia sua, *in similitudinem tribunalis*. Chaldaeus habet, *ad gradum horarum*: id est, propè solare horologium; cujus umbrâ

umbrâ scilicet Rex novus adinoneretur, horariam esse ac momentaneam fœlicitatem suam. Adde & vilem ac terream, cum ad gradum Solo imminentem, non autem in loco eminenti, collocetur: ut abjectissimo cuique, & impiissimo, atque insipientissimo illuc aspirare liceat; & probos plerumque, ac sapientes, opibus, favore, dignitatibus prævenire. Id ipsum coturnicibus, in avidorum Israë- litarum castra involantibus, adumbratum, putat Drogo Ostiensis, sic Deum orans: *Ne pluas super nos coturnices, Domine, desideria carnis nostræ, quæ non nisi duobus cubitis levantur à terra, quia non attingunt dona Spiritus Sancti. Inò non tantùm non levantur à terra supra cubitos duos, sed etiam in terram incumbunt: ut fœlicitatis temporalis benedictio videatur eadem esse, ac maledictio serpentis, Genesis cap. 3. Super pectus gradieris, & terram comedes.* Certè eò respexisse videtur D. Basilius, cum, epistolâ ad Monachum lapsum vocavit honores, adulationem, aliâque friyola, χαμαιπρεπὲς δοξάριον,

30 BONA VOLUNTAS

Humirèpam gloriolam, & ad ima vergentem. Augustinus libro Conf. i. cap. 9. confert ludis puerilibus, ob quos se vapulasse puerum narrat, ridente patre: *majorum nuga negotia vocantur, puerorum autem talia cum sint, puniuntur à majoribus, & nemo miseratur pueros, vel illos, vel utrosque.*

X. *Voluntas aquilibrium.* Isthæc, aliâque in eandem sententiam, passim experientia & cogitationi quotidianæ occurrentia, cum expenderis, facillimum tibi fuerit, immodicum erga res tam caducas & viles amorem præscindere. Quod si feceris, eâdem operâ voluntatem tuam ad æquilibrium reduxeris, & constitueris in statu indifferentiæ. *Amor enim tuus, pondus tuum.* Hoc pondere pressa bilanx vergit in eam partem, quò amor fertur. Præterea, cum bonorum temporalium amori modum adhibueris, simul malorum timorem immoderatum represseris. Neque enim mala nisi catenus formidantur, quatenus bonis amatis opposita sunt. Mortem nimium extimescis? Vitam scilicet immo-